

PONTIFICIUM CONSILII  
DE LEGUM TEXTIBUS  
INTERPRETANDIS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXV - N. 1

---

1993

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 1993

Sped. Abb. Postale - gruppo IV - 70%

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

### LITTERAE APOSTOLICAE

Litterae apostolicae motu proprio datae: Pontificia Commissio «pro Russia» in Commissionem Interdicasteriale stabilem pro Ecclesia in Europa Orientali immutatur . . . . .	3
Litterae apostolicae motu proprio datae: Pontificium Consilium de Cultura et Pontificium Consilium pro dialogo cum non credentibus in unum rediguntur . . . . .	5
ALLOCUTIONES	
Allocutio Summi Pontificis ad Romanae Rotae Iudices coram admissos . . . . .	8
Allocutio Summi Pontificis ad eos qui conventui internationali iuris canonici interfuerunt . . . . .	12
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam episcopos Australiae visitationis «Ad Limina» occasione oblata . . . . .	18
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis visitationis «Ad Limina» occasione oblata . . . . .	21
Ex allocutione Summi Pontificis ad eos qui conventui internationali de themate <i>Pastores dabo vobis</i> interfuerunt . . . . .	23
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis visitationis «Ad Limina» occasione oblata . . . . .	24
Epistula Summi Pontificis ad episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis missa . . . . .	28

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia Ss.mi quo nova «Peregrinationi ad Petri Sedem» ordinatio datur . . . . .	30
CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Notificatio de validitate baptismatis . . . . .	34

## ACTA CONSILII

Symposium internationale Iuris Canonici . . . . .	35
Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae . . . . .	46

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii «De sacra Hierarchy» (olim «De Clericis» (Sessio XIV) . . . . .	49
II. Coetus studii «De sacra Hierarchy» (olim «De Clericis» (Sessio XV) . . . . .	76
III. Coetus studii «De sacra Hierarchy» (olim «De Clericis» (Sessio XVI) . . . . .	122
Opera a Consilii Bibliotheca Recepta . . . . .	156
Notitiae . . . . .	158

# Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

## I

### COETUS STUDII « DE SACRA HIERARCHIA »

#### Sessio XIV (dd. 18-22 februarii 1974 habita)

Diebus 18-22 februarii 1974, in Aula huius Pontificiae Commissionis, Consultores convenerunt Coetus studii « De Sacra Hierarchia » sub moderramine Em.mi Card. Felici, Praesidis Commissionis atque Rev.mi Guillermo Onclin, Secretarii adjuncti.

Conventibus intererant Exc.mi quinque ac Rev.mi quinque Consultores atque Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis, qui actuarii munere functus est. Sessionibus non interfuit, quia legitime impeditus, Exc.mus unus Consultor.

In initio sessionis Em.mus Praeses salutem omnibus dicit eisque gratias refert ob eorum sollerterem participationem, peculiari autem modo Exc.mis duobus Consultoribus qui nunc prima vice in adunationibus huius coetus studii partem habent. Deinde vero, ipse Card. Felici in mentem adstantium revocat praecipuam quaestionem nempe de recognoscendis canonibus CIC qui agunt de suprema Ecclesiae potestate: de Romano Pontifice, de Concilio Oecumenico atque de Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus. Ad Curiam Romanam quod attinet, Em.mus Praeses sequentes legit Litteras, die 11 februarii c.a. datas, quas ab Em.mo Card. Villot, Secretario Status, recepit:

« Signor Cardinale, Mi riferisco allo stimato Foglio dell'Eminenza Vostra Reverendissima in data 17 luglio ultimo scorso, relativo alla formulazione dei canoni del nuovo Codice di Diritto Canonico riguardanti la Curia Romana.

Le considerazioni ed i suggerimenti della Eminenza Vostra sono stati opportunamente esaminati, anche alla luce dell'esperienza del primo quinquennio dall'emanazione della 'Regimini Ecclesiae Universae'.

Compio ora il venerato incarico di significarLe che è stato ritenuto conveniente un aggiornamento della citata Costituzione Apostolica da parte di una speciale Commissione, la quale comprenderà anche un rappresentante di codesta Pontificia Commissione e della Pontificia Commissione per la revisione del Codice di Diritto Canonico Orientale.

L'Eminenza Vostra vorrà tenere conto di ciò nell'organizzare il lavoro di redazione dei canoni relativi alla Curia Romana da inserire nel nuovo Codice di Diritto Canonico.

L'Ecc.mo Sostituto di questa Segreteria di Stato, nella sua qualità di Consultore di codesta Pontificia Commissione, porterà il suo contributo a questo lavoro, ma — a motivo del suo Peculiare Ufficio — non sembrerebbe opportuno affidargli l'incarico di relatore... ».

His attentis Litteris, Card. Praeses statuit ut hac in Coetus sessione tantum generalis brevisque habeatur disceptatio de normis quae ad Curiam Romanam attinent, eum quidem in finem ut eventuales prolantur ideae atque propositiones quae forsan utiles esse possint ad adiuvandum laborem peculiaris commissionis de qua sub praedictis Litteris Secretariae Status. Rogat denique Rev.mum Secretarium Ad. ut quaestiones nunc proponat quoad recognitionem canonum de Romano Pontifice, de Concilio Oecumenico atque de Sacro Cardinalium Collegio, pree oculis etiam habitis propositionibus quae a quibusdam Consultoribus in scriptis factae sunt (cfr. Adn. I).

Quoad Tit. VIII<sup>um</sup> Partis I<sup>ae</sup> Sect. II<sup>ae</sup> Lib. I CIC, nempe « De suprema potestate deque iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes », notat Rev.mus Secretarius Ad. nullam in scriptis dari animadversionem. Attamen proponi posset ut hic titulus aptius ita exaretur: « De suprema Ecclesiae auctoritate eiusque exercitio », quod omnibus Consultoribus placet.

## I. DE ROMANO PONTIFICE

Aliquae habentur observationes scriptae, quarum praecipuae ita a Rev.mo Secretario Ad. proponuntur:

- 1) Aptius quam in hodierno CIC munus primatiale Romani Pontificis exponi debet ut perpetuum ac visibile unitatis fidei et communionis principium et fundamentum (primus et secundus Consultores);
- 2) Convenit ut melius exponatur coniunctio inter Romanum Pontificem et Collegium Episcoporum (primus Consultor);
- 3) Oportet ut affirmetur Romanum Pontificem eminenti gradu habere munera docendi, sanctificandi et regendi, pro universa Ecclesiae (secundus Consultor), magis in specie ut eius munus docendi pro universa Ecclesia asseratur (tertius Consultor);
- 4) In definitione potestatis Romani Pontificis ratio habeatur doctrinae Concilii Vaticani II de potestate Episcopis propria, sed et congrue

enuntietur quod «a suprema Ecclesiae auctoritate exercitium eiusdem ultimatum regatur et certis limitibus, intuitu utilitatis Ecclesiae vel fidelium, circumscribi possit» (cfr. Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 27).

Aliae habentur observationes, quae vero magis se referunt ad exercitium huius potestatis et ad Curiam Romanam.

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. canones CIC de Romano Pontifice, debite recogniti, nunc haberi in schemate de Lege Ecclesiae Fundamentalii. Non quidem affirmatur in hoc schemate quod quae Romano Pontifici reservantur «sive natura sua sive positiva lege» (can. 220 CIC) vocantur causae maiores, sed de iure Romani Pontificis sibi aut alii auctorati reservandi causas habetur affirmatio in schemate LEF. In eodem schemate iam distincte affirmatur Romanum Pontificem esse perpetuum et visibile unitatis principium et fundamentum. Etiam de triplice munere Romani Pontificis in dicto schemate ex professo agitur, scilicet ubi tractatur de muniberibus Ecclesiae et de iis quae eadem munera docendi, sanctificandi et regendi exercent. De limitibus denique quae exercitio potestatis episcopalnis ponit possunt a Suprema Ecclesiae Auctoritate, item in dicto schemate LEF agitur (ubi de Episcopis, quoad munera Ecclesiae). Ibidem tamen perpendi adhuc potest propositio Exc.mi primi Consultoris, ut nempe affirmetur supremam Romani Pontificis potestatem esse praesertim intuitu unitatis in Ecclesia servandae.

His omnibus perpensis, proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut in novo CIC unus vel duo tantum habeantur canones de Suprema Ecclesiae Auctoritate in quibus remittatur ad canones Legis Ecclesiae Fundamentalis.

Rev.mus quartus Consultor, cui et alii accedunt Consultores, animadvertisit organa quae sunt pro universa Ecclesia inveniri non debere in CIC, sed in LEF. Attamen quae de his organis habentur in schemate LEF in praxi non sufficiunt, ideoque habere debemus speciales leges universales et ordinarias de electione Romani Pontificis, de Concilio Oecumenico, de Synodo Episcoporum, etc. Quae leges speciales diversae esse debent a CIC et a CICO, vel — uti alii proponunt — in his Codicibus includi debent.

## II. DE CONCILIO OECUMENICO

Consultores qui animadversiones in scriptis fecerunt aestimant in genere canones hodierni CIC sufficere posse (primus et secundus). Affirmatur sane Concilium Oecumenicum proponendum esse ut expressionem collegialitatis Episcoporum Ordinis et agendum esse de actione Collegii Episcoporum (tertius et secundus Consultores).

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit canones qui in CIC de Concilio Oecumenico tractant nunc haberi, iam recognitos, in schemate Legis Ecclesiae Fundamentalis, sub titulo « De Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum ». Deest in ipso schemate emendato LEF norma quae habetur in CIC can. 224, de procuratoribus eorum qui, cum impedimento sint detenti, Concilio Oecumenico interesse non possunt, deque eorum iure subscribendi actis, non vero emittendi suffragium. (Aestimarunt Consultores hanc normam pertinere potius ad « Ordinem Concilii », et ideo in canonibus LEF non esse inserendam).

Desunt etiam in schemate LEF normae aliquae quae habentur in CIC, can. 223. In schemate affirmatur una ex parte ius esse omnibus Episcopis et solis Episcopis, utpote membris Collegii Episcoporum, ut Concilio Oecumenico cum suffragio deliberativo intersint; alia ex parte, affirmatur ad Concilium Oecumenicum alios vocari posse a Suprema Ecclesiae Auctoritate, alios scilicet dignitate episcopali non insignitos, et eiusdem Supremae Auctoritatis esse eorumdem partes in Concilio determinare. Videtur — ait Rev.mus Secretarius Ad. — hanc normam sufficere, atque pro singulis Conciliis Oecumenicis, aut in « Ordine Concilii » seu lege speciali, definiri posse quinam inter non-Escopos ad Concilium vocentur et quaenam sint eorum partes.

His omnibus attentis, Consultoribus placet ut in novo CIC mentionem fiat de Collegio Episcoporum, in canone de Suprema Ecclesiae Auctoritate eiusque exercitio; legislatio vero particularis de Concilio Oecumenico ad LEF vel ad specialem legem universalem remittenda videtur.

### III. DE S.R. ECCLESIAE CARDINALIBUS

En praecipuae animadversiones quae in scriptis propositae sunt:

1) Appellari non amplius debet Collegium Cardinalium « Senatus Romani Pontificis » (can. 230), quia hoc munus hodie devolvitur, aut saltem praeципue devolvitur, Synodo Episcoporum (ita Exc.mus primus Consultor). Contrariam tenet sententiam Exc.mus tertius Consultor;

2) Servandum est Collegio Cardinalium munus electionis Romani Pontificis et hoc munus eis exclusivum sit oportet (primus et secundus Consultores), quia coetus magis extensus electorum non nititur traditione et difficultatibus non paucis ansam preeberet. Ratio tamen habenda est praescriptorum M.P. *Ingravescentem aetatem*;

- 3) Affirmari debet in CIC quod Cardinales debent esse Episcopi (primus Consultor), et Collegium Cardinalium vocari potest « peculiariis Episcoporum coetus » (secundus Consultor);
- 4) Non videtur amplius necessarium ut distinguantur « tres ordines » Cardinalium, (primus Consultor);
- 5) Magis hodie congruens videtur ut Collegium Cardinalium ut institutum Ecclesiae universae appareat, etsi speciali modo Romano Pontifici coniunctum (secundus Consultor).

Antequam singulae eae propositiones discutiantur, Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit quod in schemate LEF solum affirmatur Romano Pontifici, in munere Supremi Pastoris exercendo, auxilio etiam esse Patres Cardinales necnon alias personas itemque varia secundum temporum necessities instituta. Quare in CIC requiruntur normae de Collegio Cardinalium. Proponit ergo, et omnibus Consultoribus placet, ut diversi canones de Cardinalium Collegio in hoc Coetu « De Sacra Hierarchia » considerentur utque definiatur quaenam praescripta sint retinenda, quaenam delenda, quaenam mutanda. Tali disceptatione habita, potest postea componi schema canonum, quod in nova sessione huic Coetui submittendum est.

Ad propositiones vero in scriptis iam factas sequentes habentur sententiae:

Ad 1) Functio « senatus Romani Pontificis », quae Cardinalium Collegio tribuitur, manere debet, etsi aliis verbis exprimi possit, si ita necessarium videtur: ex.gr. « peculiariis Episcoporum coetus ».

Ad 2) Placet ut dicatur ex.gr. « pertinet ad Collegium Cardinalium munus electionis Romani Pontificis iuxta normas a peculiari lege statutas ». (Prae oculis habentur quae de hac quaestione a Summo Pontifice Paulo VI in ultima Episcoporum Synodo dicta sunt, sed Consultores libere propriam sententiam pudent, cum tota haec materia supremo iudicio Summi Pontificis postea submittenda utique sit. Praeterea, uti animadvertisit Em.mus Praeses, cum proposita formula non affirmatur ius exclusivum).

Ad 3) — Placet.

Ad 4) — Placet, ratione etiam theologica.

Ad 5) — Placet.

Posthac sequitur examen singulorum canonum (230-241) hodierni Codicis. Animadversiones quae flunt sunt sequentes:

#### *Ad can. 230*

Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut loco « senatum » dicatur « peculiare Episcoporum Collegium ».

Rev.mus quartus Consultor in mentem adstantium revocat concistorium, in quo Cardinales revera uti senatum agunt. Si Cardinalium Collegium non haberet actus collegiales Collegium paulatim esse desineret. His dictis et alii accedunt Consultores qui censem concistoria in iure apparere debere in sua pristina functione. Ita Collegium Cardinalium peculiari auxilio esse potest Romano Pontifici in exercitio eius supremae potestatis.

Quoad munus eligendi Romanum Pontificem, Rev.mus undecimus Consultor postulat, ratione etiam oecumenica, ut in tuto ponatur possibilitas tribuendi hoc ius etiam Patriarchis Orientalibus, quia Romanus Pontifex est Pastor Ecclesiae Universalis.

#### *Ad can. 231*

Placet Consultoribus ut § 1 huius canonis amplius non sustineatur. Quoad § 2 magis placet ut omnibus Cardinalibus titulus assignetur in Urbe vel in dioecesi suburbicaria.

#### *Ad cann. 232-233*

Proponente Rev.mo Secretario Ad. placet ut unus tantum fiat canon ex sopradictis duobus canonibus hodierni CIC, utque § 2 emendata can. 233 fiat § 2 novi canonis, quia agitur de creatione et publicatione Cardinalium.

Rev.mus quintus Consultor dicendum esse censem in hac § 2 quod ipso facto creationis et publicationis Cardinales iura et officia obtinent quae membris Collegii sunt propria ad normam canonum.

Quoad § 2 can. 232 maioritati Consultorum placet ut deleatur. E contra § 2 can. 233 servanda videtur, absque mentione tamen privilegiorum.

#### *Ad cann. 233-234*

Ad mentem omnium Consultorum hi canones deleri debent.

#### *Ad can. 236*

Omnibus placet ut eae normae paestringantur et emendentur, attenta etiam suppressione trium ordinum Cardinalium.

#### *Ad can. 237*

Ad normam M.P. *Sacro Cardinalium Consilio* diei 26 februarii 1965, cum Decanus tum Subdecanus suffragatione seliguntur ex Cardinalibus

qui Sedium suburbicarium vel Episcopi sunt vel titulum gerunt. Canon ergo 237 CIC emendandus est iuxta praescripta et mentem ipsius novae legis.

*Ad can. 238*

Consultoribus placet ut hic canon maneat quoad substantiam. In § 1 dicendum autem videtur: «Cardinales qui non sunt Episcopi dioecesani». In § 3 aliquid addendum est de obligatione Cardinalium sedulo cooperandi cum Romano Pontifice, ideoque de convenientia, cum ipsi Cardinales ad Urbem venerint, ut Roma ne discedant nisi prius adito Romano Pontifice.

*Ad cann. 239-240*

Omnis eae normae, quarum maior pars expungenda videtur in novo iure (etiam quia haec privilegia iamnunc omnes Episcopi habent), in unum colligendae sunt; §§ 2-3 can. 239 servari possunt, cum opportunitibus emendationibus.

Ad mentem Exc.mi sexti Consultoris aliquid addendum est circa archivum Cardinalium.

*Ad can. 241*

Hic canon servari debet quoad substantiam.

Omnibus his prae oculis habitis, Rev.mus Secretarius Ad. sequens schema canonum proponit «De Suprema Ecclesiae Auctoritate eiusque exercitio», uti basis tantum ulterioris disceptationis:

*Can. 1*

§ 1. Quae de supra Ecclesiae auctoritate vigent praescripta, in canonibus Legis Ecclesiae Fundamentalis de Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum statuuntur (cann. 29-30).

§ 2. Ad normam can. 32 Legis Ecclesiae Fundamentalis, in eius munere Supremi Pastoris exercendo Romano Pontifici adsunt Episcopi omnes, praesertim quidem Synodus Episcoporum; eidem praeterea auxilio sunt Patres Cardinales necnon aliae personae itemque instituta, secundum praescripta canonum qui sequuntur.

*Can. 2*

S.R.E. Cardinales peculiare Episcoporum Collegium constituunt, cui competit ut electioni Romani Pontificis provideat, ad normam legum specialium de eadem vigentium, atque Romano Pontifici in adimplemento eius potestatis Supremi Pastoris peculiari auxilio sit ad normam iuris.

*Can. 3 (CIC 232-233)*

§ 1. Qui Cardinales promoveantur libere a Ronano Pontifice ex toto orbe terrarum seliguntur viri, saltem in ordine presbyteratus constituti, doctrina, moribus, pietate necnon rerum agendarum prudentia egregie praestantes.

§ 2. Cardinales creantur et publicantur a Romano Pontifice in Consistorio, sique creati et publicati officiis tenentur atque iuribus gaudent canonibus definitis.

§ 3. Promotus tamen ad cardinalitiam dignitatem, cuius creationem Romanus Pontifex in Consistorio annuntiaverit, eius autem nomen in pectore sibi reservans, nullis interim tenetur Cardinalium officiis nullisque eorum gaudet iuribus; postquam autem a Romano Pontifice eius nomen publicatum fuerit iisdem officiis fruiturque iuribus, sed inter Cardinales locum obtinet a die reservationis in pectore.

*Can. 4 (CIC 231 et 236 § 4)*

§ 1. Cardinalibus a Romano Pontifice assignatur titulus alicuius dioecesis suburbicariae aut alicuius ecclesiae in Urbe.

§ 2. Cardinalis qui Sacri Collegii Decanus elititur, in titulum habet dioecesim Ostiensem, una cum eodem servans titulum dioecesis ipsi iam assignatum alias dioecesis suburbicariae.

*Can. 5 (CIC 237)*

§ 1. Sacro Cardinalium Collegio praeest Decanus, eligendus inter eos et ab iisdem qui in titulum habent aliquam dioecesim suburbicariam; Decano Collegii nulla est in ceteros Cardinales potestas regiminis, sed ut primus inter aequales habetur.

§ 2. Vacante decanatu aut impedito decano, ipso iure eius officium ad tempus adimplevit Subdecanus, qui pariter ab iisdem Cardinalibus de quibus in § 1 elititur inter eos quibus est titulus dioecesis suburbicariae.

---

*Can. 6 (CIC 238)*

§ 1. Cardinales qui non sunt Episcopi dioecesani obligatione tenentur residendi in Curia, a qua sine licentia Romani Pontificis ne discedant; eadem tamen licentia non indigent Cardinales quibus in titulum assignata est dioecesis suburbicaria, ut ad eandem dioecesim se conferant, quoties id opportunum iudicaverint.

§ 2. Cardinales omnes obligatione tenentur cum Romano Pontifice sedulo cooperandi; qui itaque alicuius dioecesis curam habent ut Episcopi dioecesani, Urbem petant quoties a Romano Pontifice invitentur, atque, cum ad Urbem venerint, ab eadem ne discedant, nisi prius adito Romano Pontifice.

*Can. 7 (CIC 239-240)*

§ 1. Cardinales in dioecesi aut in ecclesia quae ipsis in titulum assignatur iuribus gaudent quibus Episcopi dioecesani in suis dioecesibus aut ecclesiis, nulla vero potestate regiminis in ipsos fideles pollent.

§ 2. Cardinales extra Urbem degentes exempti sunt a potestate regiminis Episcopi dioecesis in qua commorantur.

§ 3. Cardinales ubique fidem faciunt, in foro externo de oraculo pontificio testantes.

§ 4. Cardinali Decano competit ordinare et consecrare electum Pontificem, si hic non adhuc ordinatus aut consecratus sit; absente aut impedito Cardinali Decano, idem ius competit Subdecano, eoque absente aut impedito, antiquiori Cardinali cui in titulum dioecesis suburbicaria assignata est.

§ 5. Curent Cardinales ut quae possident documenta ad relationes cum Sede Apostolica sese referentia, cum decesserint, obveniant eidem Sedi Apostolicae, ad quam nempe eorundem dominium pertinet.

*Can. 8 (CIC 241)*

Sede Apostolica vacante, Sacrum Cardinalium Collegium nulla gaudet potestate, nisi ea quae in lege peculiari de Sede vacante definitur.

En animadversiones quae fiunt ad singulos canones propositos.

*Ad can. 1*

Exc.mus septimus Consultor sequentia patefacit: 1) subintelligitur Legem Ecclesiae Fundamentalem promulgatum iri; si hoc non fit quae de

Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum in schemate LEF habentur in canonibus CIC poni deberent;

2) iamnunc in CIC differentia quae habetur Synodus Episcoporum inter et Collegium Cardinalium clare elucere debet: duo haec instituta in adiutorium Romani Pontificis agunt sed modo quidem distincto; 3) praedicta distinctio in eo praesertim inest quod Synodus Episcoporum problema quae in sic dicta «basis Ecclesiae» magis persentuntur statis temporibus Romano Pontificis patefacit, una cum opportunis suggestionibus ac propositionibus; Collegium vero Cardinalium, modo magis continuo ac ordinario Romanum Pontificem adiuvat in exercitio eius supremae auctoritatis; etiam quoad perpendendas, iudicandas et eventualiter ad proxim deducendas propositiones et conclusiones Synodi Episcoporum.

Rev.mus Secretarius Ad. memorat canones de Synodo Episcoporum iam paratos, in quibus functio huius instituti centralis apte statuitur. Quaestio difficilior appareat quae nunc disceptanda est, de functione nempe Collegii Cardinalium; haec quidem functio in nova legislatione clare determinanda est, praesertim quoad actus collegiales et consistoria.

His dictis alii accedunt Consultores, inter quos Rev.mi quartus et quintus, qui censem prae oculis habendum esse quod: 1) Synodus Episcoporum tantum adest, propriam nempe functionem in actu pandens, si convocetur; e contra Collegium Cardinalium est institutum natura sua revera permanens; 2) praeter consistoria, alii habent actus Collegii Cardinalium quibus continuum iuvamen Romano Pontifici praebetur in cura pastorali, praesertim in Curia Romana.

Fit tamen discussio de ordine iuxta quem haec duo instituta tractanda sunt in CIC.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut primo fiat sermo de Synodo Episcoporum, dein de Collegio Cardinalium.

Exc.mus sextus, cui accedit Exc.mus octavus Consultor, censem aptius esse ut primus detur locus Collegio Cardinalium quia: 1) quoad ius eligendi, omnia membra Collegii libere eliguntur a Romano Pontifice; 2) quoad functionem cooperandi cum Romano Pontifice in regimine universae Ecclesiae, haec cooperatio magis continua et immediata est ex parte Collegii Cardinalium.

Exc.mus septimus animadvertisit quod functio Collegii Cardinalium (quod ad instar sic dictae «camera alta» in iure Status considerari potest, dum Synodus Episcoporum magis aequiparetur ad sic dictam «camera bassa») praestantior videtur quam functio Synodi: etiam quia ad Collegium Cardinalium pertineret, ut exoptatur, ipsum iuvamen Summo Pontifici praebendum in ponderandis et ad proxim opportune deducendis conclusionibus et propositionibus Synodi Episcoporum.

Rev.mis secundo et nono Consultoribus optima videtur sententia de structuratione iuridica Synodi Episcoporum ac Collegii Cardinalium ad instar systematis sic dicti « bicamerale », salva tamen peculiari Ecclesiae natura, quae non est democratica. Attamen, quoad ordinem expositionis aptius appetit ut Synodus Episcoporum primum obtineat locum, quia; 1) in Synodo universa Ecclesia aptiorem repraesentationem obtinet; 2) Synodus Episcoporum uti expressio collegialitatis habetur.

Obiiciunt tamen Exc.mi septimus et decimus atque Rev.mus quintus Consultores quod: 1) etiam Cardinales sunt Episcopi atque coetum Episcoporum constituunt; 2) etiam membra Collegii ex universa Ecclesia selecta sunt eamque repraesentant; 3) Synodus Episcoporum secundo vel tertio quoque anno coadunatur, dum Collegium Cardinalium suum munus continuo implet (etiam si, uti patet, identificari non potest cum Curia Romana).

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. vota quae a Synodo Episcoporum proponuntur suum effectum habere etiam post Synodi congregaciones, in periodis nempe intersessionis. Praeterea multae expectari possunt animadversiones ex parte Episcoporum si Synodus post Collegium Cardinalium in CIC pertractetur.

Ad mentem denique Rev.mi quarti Consultoris quaestio de ordine minoris momenti est quam quaestio de substantia rerum.

His dictis, accedunt alii Consultores, ideoque discussio prosequitur de ceteris canonibus qui propositi sunt.

*Ad can. 2*

Rev.mus quartus Consultor postulat ut dicatur Cardinales adiutorium praestare sive singulos sive in Collegio coadunatos.

Idem quaerit Exc.mus septimus Consultor, memorans quod praeter consistoria, habentur etiam consultationes oretenus vel in scriptis singulis vel aliquibus Cardinalibus factae, coadunationes Praefectorum Dicasteriorum Curiae aliaeque formae cooperationis in exercitio potestatis Supremi Pastoris. Postulat quoque Exc.mus ut loco verborum « auxilio sint » aptius dicatur « adsunt ».

Nulla alia fit animadversio.

*Ad can. 3*

Quoad § 2, dubitat Exc.mus septimus de necessitate vel convenientia rigide statuendi, etiam in novo iure, ut Cardinales semper creentur et publicentur in Consistorio.

Sufficeret si diceretur: «Cardinales creantur et publicantur a Romano Pontifice»; hoc est factum iuridicum, dum locus et modus magis pertinent ad caeremoniale.

Obiiciunt Rev.mus quartus et alii Consultores quod actus creationis definiri debet in iure, quia per acta iuridica creationis et publicationis iura et officia Cardinalibus propria obtinentur. Hoc tamen non significat — ait Rev.mus Secretarius Ad. quod huiusmodi actus necessarie fieri debeant coram Collegio Cardinalium in consistorio coadunato.

Parva adhuc habetur discussio de hac re, cuius in fine sequens formula ab omnibus recipitur: «Cardinales creantur Romani Pontificis decreto, quod quidem coram Cardinalium Collegio publicatur».

His attentis, in § 3, lin. 2, delentur verba: «in Consistorio», praeterea in fine ipsius § 3 ita emendatur textus, claritatis causa: «sed iure praecedentiae gaudet a die reservationis in pectore».

#### *Ad can. 4*

Nulla fit animadversio.

#### *Ad can. 5*

Animadvertisit ipse Rev.mus Secretarius Ad. quae in hac formula proposita sunt adhuc emendari et compleri debere ad normam M.P. «Sacro Cardinalium Consilio». Hoc tamen fiet postea cum nova propositio canonum apparetur. Iam nunc placet ut sequentes addantur normae: a) Decanus et Subdecanus officium ipso iure amittunt expleto octogesimo anno, quia congruum non videtur ut sint Decanus vel Subdecanus Cardinales qui iure electionis careant (Exc.mus sextus Consultor: Decanus et Subdecanus domicilium in Urbe habere debent (Exc.mus octavus Consultor).

#### *Ad can. 6*

Proponente Rev.mo Secretario Ad. delentur in § 1 verba «eadem tamen licentia non indigent...» usque ad finem paragraphi. Mutata enim sunt iura quae habebant Cardinales quibus in titulum assignata est dioecesis suburbicaria.

Ad primam partem ipsius § 1, animadvertisit Exc.mus septimus Consultor melius esse rigiditatem huiusmodi normae aliquo modo mitigare, etiam quia habentur Cardinales qui non sunt Episcopi dioecesani sed neque officium in Curia habent, quia octagesimum aetatis annum iam expleverunt (cfr. M.P. «Ingravescentem aetatem» diei 21 novembreis 1970).

Quoad § 2, omnes Consultores censem textum emendandum esse, ita ut in ipsa § 2 vel in novis §§ addendis praecipuae normae includantur quae habentur in M.P. «Ingravescentem aetatem».

*Ad can. 7*

Attentis recentioribus de hac re dispositionibus, delentur in § 1 verba: «iuribus gaudent quibus Episcopi dioecesani in suis dioecesibus aut ecclesiis».

Quoad § 2, animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. cui et alii accedunt Consultores, melius esse si textus ita compleatur: «...extra Urbem et *extra dioecesim cui praesint* degentes».

Quoad § 3, Card. Felici notat ex hac norma generali oriri posse difficultates, si nempe sermo fiat a Cardinali de rebus quae exulant a competencia respectivi officii vel munericis. His dictis, accedunt Exc.mus septimus et alii Consultores, inter quos Rev.mus quintus, qui proponit ut norma haec ad solos Cardinales Praefectos Dicasteriorum Curiae Romanae restringatur. Placet ista propositio, sed probatur ut: *a) norma valeat sive pro Praefectis sive etiam pro Secretariis Dicasteriorum; b) de re agatur ubi de Curia Romana, quia ibi aptiorem locum invenit.*

Quoad § 4, placet, proponente Rev.mo Secretario Ad., ut ita compleatur textus: «Cardinali Decano competit *nomen novi electi Romani Pontificis populo annuntiare, itemque ordinare...*». Probatur etiam, proponente Exc.mo septimo Consultore, ut loco «absente aut impedito» dicatur tantum «impedito». Denique, et ad mentem Rev.mi quarti Consultoris, placet ut ex normis in hac § 4 statutis fiat novus canon, ratione materiae.

Quoad § 5, postulat Rev.mus quintus Consultor ut dicatur in initio «obligatione tenentur» loco «Curent». Insistunt quoque alii Consultores, inter quos Exc.mi septimus et sextus, super necessitate complendi hanc normam, itat ut, ad vitandas difficultates ex lege civili provenientes, per legitimum documentum tempore opportuno Sanctae Sedi tradendum de peragenda cessione provideatur.

*Ad can. 8*

Nulla fit animadversio.

\* \* \*

Attentis animadversionibus quae factae sunt ad formulas canonum 1-3, Rev.mus Secretarius Ad. sequentes textus emendatos proponit:

*Can. 1*

§ 1. Quae de supra Ecclesiae auctoritate vigent praescripta, in canonicis Legis Ecclesiae Fundamentalis de Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum statuantur (cann. 29-39).

§ 2. In eius munere Supremi Pastoris exercendo Romano Pontifici auxilio sunt Episcopi omnes, praesertim quidem Synodus Episcoporum, cuius est aptiores quibus universae Ecclesiae necessitatibus prospiciatur rationes inquirere atque de iisdem optata expromere.

§ 3. Supremo Pastori etiam adsunt Patres Cardinales, necnon aliae personae et instituta, quorum est operam studiumque conferre ut quae secundum temporis adiuncta ad commune Ecclesiae bonum magis congruae et opportunae appareant rationes revera ad rem deducantur.

*Can. 2 (CIC 230)*

S.R.E. Cardinales peculiare Episcoporum Collegium constituunt, cui competit ut electioni Romani Pontificis provideat, ad normam legum specialium de eadem vigentium; Cardinales praeterea, sive collegialiter agentes sive ut singuli, Romano Pontifici in cura Ecclesiae universae quotidiana exercenda adsunt.

*Can. 3 (CIC 232-233)*

§ 1. Qui Cardinales promoveantur libere a Romano Pontifice seliguntur viri, saltem in ordine presbyteratus constituti, doctrina, moribus, pietate necnon rerum agendarum prudentia egregie praestantes.

§ 2. Cardinales creantur Romani Pontificis decreto, quod quidem coram Cardinalium Collegio publicatur; ita creati et publicati officiis tenentur atque iuribus gaudent canonibus definitis.

§ 3. Promotus tamen ad cardinalitiam dignitatem, cuius creationem Romanus Pontifex annuntiaverit, eius autem nomen in pectore sibi reserans, nullis interim tenetur Cardinalium officiis nullisque eorum gaudet iuribus; postquam autem a Romano Pontifice eius nomen publicatum fuerit, iisdem tenetur officiis fruiturque iuribus, sed iure praecedentiae gaudet a die reservationis in pectore.

En observationes quae a Consultoribus fiunt:

*Ad can. 1*

Postulat Rev.mus quintus Consultor, et propositio recipitur, ut in § 3, lin. 1 dicatur «peculiari modo» loco «etiam»; ita in luce ponitur praestantia Collegii Cardinalium.

Ad mentem Exc.mi septimi Consultoris, placet ut in paragrapho distincta agatur de Curia Romana, ne ponantur in eadem linea Collegium Cardinalium et Curia Romana, quae est organum vel institutum indolis exsecutivae.

*Ad can. 2*

Exc.mus septimus Consultor postulat ut hoc in canone vel in novis addendis formulis sequentia quoque ponantur: *a)* praecipua quae statuta sunt in Motu Proprio «Ingravescentem aetatem»; *b)* insinuatio quaedam de opportunitate ut Collegium Cardinalium statis temporibus convocetur.

Fiunt quoque parvae suggestiones ad emendandum textum nunc propositum, nempe: dicatur «item Romano Pontifici adsunt» loco «praeterea» (quartus Consultor); «paesertim quotidiana» loco «quotidiana» (quartus Consultor); «paesertim quotidiana» loco «quotidiana» (Secretarius Ad.).

*Ad can. 3*

Proponente Exc.mo septimo Consultore, placet ut in § 2 clariore modo dicatur iuribus ac officiis Cardinales gaudere a momento publicationis.

Ad hoc ut ulterius nova legislatio per vestiget de supra Ecclesiae auctoritate deque natura et functione Collegii Cardinalium, tertium adhuc schema canonum a Rev.mo Secretario Ad. examini Consultorum submittitur, attentis praecedentibus propositionibus quae factae sunt in disceptatione.

En singulae formulae canonum emendatae:

*Can. 1*

Quae de supra Ecclesiae auctoritate vigent praescripta, in canonibus Legis Ecclesiae Fundamentalis de Romano Pontifice deque Collegio Episcoporum statuuntur (cann. 29-39).

Nulla fit animadversio, ideoque canon probatur uti propositus est.

*Can. 2*

§ 1. In eius munere Supremi Ecclesiae Pastoris exercendo Romano Pontifici auxilio sunt Episcopi omnes, praesertim quidem Synodus Episcoporum, cuius est aptiores quibus universae Ecclesiae necessitatibus prospiciatur rationes inquirere atque de iisdem optata expromere.

§ 2. Supremo Pastori peculiari modo adsunt Patres Cardinales, peculiari modo quorum est operam studiumque conferre ut quae secundum

His dictis accedunt alii Consultores, inter quos Exc.mus septimus ad cuius mentem sufficeret ut dicatur Cardinalem Decanum domicilium in Urbe habere vel acquirere debere. Placet ergo ut ex § 2 expungantur verba «aliquem Cardinalem in Urbe domicilium habentem», dum haec adduntur in § 4, quia norma valet etiam pro Subdecano: «*Decanus et Subdecanus si in Urbe domicilium iam non habent, illud ibidem acquirant; officium...*».

Attenta eadem animadversione facta ab Exc.mo sexto Consultore in § 2 ita completetur textus: «e coetus sui gremio *unum* eligant ut Decanum...».

Ut ‘probatio’ de qua in fine § 2 et § 3 ne habeatur tanquam mera quaedam formalitas ex parte Romani Pontificis, placet quoque, proponente Exc.mo septimo Consultore, ut ita emendentur respectivi textus: «cui soli competit *electum confirmare*» (§ 2); «Subdecani electionem *confirmare*» (§ 3).

#### *Can. 7*

§ 1 Patres Cardinales qui octogesimum aetatis annum impleverint, licet Membra remaneant Sacri Collegii variisque iuribus et praerogativis eiusdem propriis fruantur:

1° ius amittunt Romanum Pontificem eligendi atque adeo in Conclave ingrediendi; qui vero post coeptum Conclave octogesimum annum compleverint, iure Romanum Pontificem ea vice eligendi fruuntur;

2° desinunt esse Membra Dicasteriorum Romanae Curiae ceterorumque permanentium Sedis Apostolicae et Civitatis Vaticanae institutorum, etiamsi, exceptionis gratia, dioecesi alicui praesint aut eius titulum, sine regendi munere, servent.

§ 2. Patres Cardinales Dicasteriis Romanae Curiae aliisve institutis, de quibus in § 1, 2°, praepositi, qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverint, rogantur ut renuntiationem ab officio sua sponte exhibeant Romano Pontifici, qui, omnibus in unoquoque casu perpensis adjunctis, providebit.

Ad § 1, 1°, in fine, haec proponitur emendatio a Rev.mo quarto Consultore claritatis causa: «ius Romanum Pontificem eligendi ea vice retinent». Propositio ab aliis recipitur.

Iuxta Rev.mum secundum Consultorem aptius esset nihil dicere in Codice Iuris Canonici de peculiari iure quo regitur Status Civitatis Vaticanae, quod ius in lege speciali inveniri deberet. Proponit ergo ut deleantur in fine §1, 2° verba «et Civitatis Vaticanae». Obiicit tamen Exc.mus septimus Consultor Cardinales adesse in Commissione Pontificia quae potestatem delegatam a Romano Pontifice habet pro rebus ad Civitatem Vaticanam pertinentibus.

Quaestio deinde ponitur de consistoriis, et imprimis utrum Cardinales qui octogesimum aetatis annum impleverint partem habere possint in huiusmodi adunationibus Sacri Collegii.

Iuxta Rev.mos quartum et quintum Consultores omnes Cardinales, cuiuscumque aetatis, ad consistoria convocari debent, sicut convocantur ad Concilia Oecumenica quae actus collegiales sunt Collegii Episcopalis ad quod etiam pertinent.

Exc.mus septimus Consultor censem Cardinales omnes convocandos esse ad consistoria; attamen qui octogesimum aetatis annum conficiunt votum tantum consultivum habere debere.

Exc.mus decimus praefert ut isti Cardinales non convocentur, quia absonum erit ut in deliberationibus Collegii intersint, sed voto deliberativo non gaudeant.

Rev.mi quartus et quintus Consultores animadvertisunt res diverse se habere ac in Conferentiis Episcopalibus, quarum natura et actus differunt ab iis quae propria sunt Concilii Oecumenici ac Consistorii.

Fit adhuc parva discussio, cuius in fine Exc.mus septimus Consultor postulat ut duae quidem necessitates pree oculis habeantur, nempe: 1) obsequium quod praestari debet venerabilibus Patribus Cardinalibus, etiam ratione aetatis; 2) efficacia quae exoptatur in studiis peragendis ac decisibnibus sumendis in consistoriis. Quapropter proponitur ut duo species Consistorii habeantur, videlicet consistoria ordinaria et consistoria extraordinaria, iuxta Ecclesiae necessitates ac negotiorum urgentiam et gravitatem. Haec norma, quae quidem magni momenti esset ad praestantiam et actuositatem Sacri Collegii roborandas, in canone distincto ponenda videatur. In hoc praeterea canone vel in actuali canone 7 statuendum proponitur ut in consistoriis ordinariis intersint etiam Cardinales qui octogesimum aetatis annum impleverint, non vero in consistoriis extraordinariis.

Omnia haec ceteris Consultoribus placent. Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut novus canon de consistoriis qui exarandus est ponatur post actualem can. 6, dum forsitan in can. 7 § 1 sequentia vel similia verba addi possint: «... propriis fruantur, *non excluso iure ut in consistoriis ordinariis intersint*». Propositio recipitur. Redactio vero huius novi canonis, una cum aliorum emendatione iuxta deliberationes habitas, Rev.mo Secretario Ad. committitur, qui definitum schema denuo proponat.

*Can. 8 (CIC 239, §§ 2 et 3)*

Cardinali Decano competit nomen novi electi Romani Pontificis populo annuntiare, itemque ordinare et consecrare electum Romanum Ponti-

ficem, si hic non adhuc ordinatus aut consecratus sit; impedito Decano, idem ius competit Subdecano, eoque impedito, antiquiori Cardinali cui ius est in electione Romani Pontificis partem habere.

Nulla fit animadversio.

*Can. 9 (CIC 238)*

Cardinales obligatione tenentur cum Romano Pontifice sedulo cooperandi; Cardinales itaque quovis in Curia officio fungentes, qui non sint Episcopi dioecesani, obligatione tenentur residendi in Curia, a qua ad notabile tempus sine Romani Pontificis licentia ne discedant; Cardinales qui alicuius dioecesis curam habent ut Episcopi dioecesani, Urbem petant quoties a Romano Pontifice convocentur, atque, cum ad Urbem venerint, ab eadem ne discedant, nisi prius adito Romano Pontifice.

Proponente Exc.mo septimo Consultore placet ut deleantur verba «a qua ad notabile tempus sine Romani Pontificis licentia ne discedant». Formula enim «ad notabile tempus» nimis indeterminata videtur, dum obliatio de licentia hac Romano Pontifici petenda aptius poni potest in speciali ordinatione Sacri Collegii.

*Can. 10 (CIC 239-240)*

§ 1. Cardinales, quibus dioecesis suburbicaria aut ecclesia in Urbe in titulum est assignata, postquam in earum venerunt possessionem, earundem bonum consilio et patrocinio promoveant, nulla autem in easdem potestate regiminis pollent, nec ulla ratione sese iis interponant quae ad earum bonorum administrationem, ad disciplinam aut ecclesiarum servitium spectant.

§ 2. Cardinales extra Urbem et extra propriam cui praesunt dioecesim degentes, exempti sunt a potestate regiminis Episcopi dioecesis in qua commorantur.

Quoad § 1, postulant Rev.mi Secretarius Ad. et quartus Consultor ut, claritatis causa, textus ita emendetur in lin. 2-3: «... postquam in *eiusdem* venerunt possessionem, earundem *dioecesium et ecclesiarum* bonum consilio” ... Propositio recipitur.

Ad § 2, animadvertisunt Exc.mus decimus et Rev.mus quintus Consultores quod forsan oporteret clare statuere de quanam specie exemptionis agatur. Huic propositioni accedunt Exc.mus septimus et alii Consultores etiam quia oportet quoque possibles abusus praevenire.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem additionem proponit, quae ceteris placet: «... degentes in *iis quae ad propriam sui personam pertinent* exempti

sunt...». Intelligitur quidem ex hac exemptione nullo iure Cardinales frui sese interponendi in regimine dioecesis in qua commorantur.

*Can. 11*

Cardinales obligatione tenentur opportuno tempore per legitimum documentum providendi ut quae possident acta aut scripta ad relationes cum Sede Apostolica eiusve actionem pertinentia, cum decesserint, uni Sedi Apostolicae obveniant.

Rev.mus quintus Consultor dubitat utrum formula «opportuno tempore» sit sufficiens. Ad mentem Rev.mi, cui et alii Consultores accedunt, dicendum esset quod Cardinales obligatione tenentur transmittendi Sedi Apostolicae praedictum documentum quamprimum a momento eorum publicationis.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum emendatum canonis proponit, qui ab omnibus recipitur:

«Cardinales inde a momento eorum publicationis obligatione tenentur opportuno tempore per legitimum documentum Apostolicae Sedi transmittendum providendi ut cum decesserint quae possident acta aut scripta ad relationes cum eadem Sede Apostolica eiusve actionem pertinentia, uni Sedi Apostolicae obveniant».

*Can. 12 (CIC 241)*

Sede Apostolica vacante, Sacrum Cardinalium Collegium nulla gaudet potestate, nisi ea quae in lege peculiari de Sede vacante definitur.

Nulla fit animadversio.

#### IV. DE CURIA ROMANA

Uti iam antea dictum est, nulla fit discussio vel deliberatio quoad recognitionem canonum hodierni CIC qui hanc ordinant materiam. Brevis tantum conspectus generalis idearum habetur, qui utilis forsitan possit pro laboribus specialis commissionis seu coetus studii cui committenda erit revisio Const. Apost. «Regimini Ecclesiae universae». Praecipua quae a Consultoribus proferuntur haec sunt:

1) Prae oculis habendum videtur principium de divisione functionum a Synodo Episcoporum anno 1967 probatum, nempe: «Potestatis ecclesiasticae clare distinguantur diversae functiones, videlicet legislativa, administrativa et iudicialis, atque apte definiatur a quibusnam organis singu-

lae functiones exerceantur» («Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant», n. 7);

2) Cum in Const. Apost. «Regimini Ecclesiae universae» nihil dicatur de natura potestatis SS. Congregationum, nempe utrum sit potestas tantum et exclusive executiva an etiam legislativa (et hoc in casu quibusdam conditionibus et formalitatibus), opportunum appareat ut in nova redactione Constitutionis haec lacuna accurate vitetur, ad certitudinem iuridicam actorum Sanctae Sedis servandam ac roborandam.

3) Perpendenda quoque videtur convenientia constituendi peculiare organum technicum-iuridicum quod, debita stabilitate praeditum, in adiutorium incumbat supremae potestatis legislativae, quae utique in persona Romani Pontificis inest.

4) Aliae possibles propositiones vel observationes quas faciendas censeant Consultores in scriptis tradantur ita ut prae oculis haberi possint a repraesentante nostrae Commissionis in sinu predictae Commissionis specialis pro recognitione Constitutionis Apostolicae «Regimini Ecclesiae universae».

## V. RECOGNITIO CANONUM PROSEQUITUR

Postquam probata est Relatio conclusiva praecedentis sessionis, prosequitur ultima recognitio canonum qui in elapsis Coetus sessionibus iam probati sunt. En schemata de quibus agitur:

### A) DE EPISCOPIS COADIUTORIBUS ET AUXILIARIBUS

*Ad can. 1*

Quaedam fiunt animadversiones ad hunc textum, qui ita sonat:

§ 1. Cum bonum dioecesis id suadeat, si nempe ob dioecesis amplitudinem vel magnum incolarum numerum, aut ob peculiaria apostolatus adiuncta aliasve rationes, Episcopus dioecesanus per semetipsum omnia episcopalia munia, sicut animarum id exigat bonum, adimplere nequeat, unus vel plures Episcopi auxiliares, scilicet sine iure successionis, constituuntur.

§ 2. Cum certis in adiunctis peculiaris dioecesis necessitas id postulet, in Episcopi dioecesani item adiutorium, Episcopus coadiutor, scilicet cum iure successionis, constituatur.

§ 3. Prout animarum bonum id exigat, ipse Episcopus dioecesanus ex postulet ut constituantur unus vel plures Episcopi auxiliares, aut, si pecunia adiuncta id requirant, Episcopus coadiutor (Decr. « Christus Dominus », nn. 25-26).

Rev.mus quartus Consultor notat quod iuxta formulam § 3 videtur Episcopum dioecesanum tantum Episcopum coadiutorern expostulare posse, dum nominatio coadiutoris etiam ex officio a Sancta Sede fieri potest.

Huic animadversioni alii accedunt Consultores inter quos Exc.mus septimus, qui praeterea dubium movet quoad verba « scilicet cum iure successionis », quae habentur in § 2 ad definiendam figuram iuridicam Episcopi coadiutoris. Haec norma habetur in hodierno Codice et etiam in Decreto « Christus Dominus », sed experientia docet — ait Exc.mus — non parvas difficultates ex huiusmodi rigido praescripto oriri posse. Sic, ex.gr., si Episcopus qui coadiutor nominatus est postea, ex novis adiunctis personalibus vel localibus, etc., minus aptus ostenditur ad regimen sumendum dioecesis; vel etiam si, propter indolis diversitatem inter Episcopum dioecesanum et Episcopum coadiutorem (qui a iure deputatus iam est « successor » in ipsa sede) clerus vel etiam populus in diversas factiones dividitur: ex una parte illi qui sunt cum actuali Episcopo dioecesano, ex alia parte illi qui potius sunt cum Episcopo dioecesano « futuro ». Ad istas aliasve difficultates vitandas, Sancta Sedes magis in dies praefert nominare Administratores Apostolicos sedi plenae datos, qui Episcopum dioecesanum adiuvant, etiam in universitate negotiorum, absque tamen iure successionis.

His omnibus perpensis, Exc.mus septimus Consultor proponit ut introducatur figura Vicegerentis, Episcopi nempe qui vices gerat Episcopi dioecesani (in omnibus quidem quae ab ipso Episcopo dioecesano fieri non possunt), quin iure gaudeat successionis.

Em.mus Card. Felici animadvertisit figuram Vicegerentis sub respectu iuridico non esse omnino claram, neque in Urbe. Vicegerens agit cum potestate ordinaria vicaria, cuius limites in dioecesi romana a Romano Pontifice statuuntur; pluralitas tamen negotiorum eorumque pondus quandoque difficultates parit. Quae difficultates maiores procul dubio essent in aliis dioecesibus, si supradicta figura Vicegerentis omnibus Ecclesiae dioecesibus iure communi extendatur.

Ad mentem Rev.mi Secretarii Ad. ac quarti Consultoris in terminologia Vaticani II clara distinctio habetur inter Episcopos auxiliares et Episcopos coadiutores, quae distinctio non tantum residet in eo quod Episcopus coadiutor iure successionis gaudeat, sed etiam in diversis rationibus ob quas Episcopus auxiliaris et Episcopus coadiutor nominantur. Huic adhaeret sententiae Rev.mus secundus Consultor qui praeterea in adstantium

mentem revocat utilitatem normae quae habetur in can. 3, nempe: «Episcopus coadiutor obligationes habet et iura, quae in litteris apostolicis suaे constitutionis definiuntur».

Exc.mi octavus et decimus Consultores censem aptiori modo ac in actuali can. 1 distingui debere Episcopos auxiliares et coadiutores. Idem putant etiam alii Consultores, qui proponunt ut dicatur Episcopos auxiliares expostulandos esse ab ipso Episcopo dioecesano, Episcopos vero coadiutores a Sancta Sede nominandos esse motu proprio.

Fit adhuc parva discussio, cuius in fine Em.mus Praeses proponit ut sequens triplex norma in canonibus huius schematis introducatur:

1) Episcopus dioecesanus, cum pastorales necessitates dioecesis id requirant, postulare debet Episcopum vel Episcopos auxiliares;

2) In peculiaribus gravioribusque adjunctis, etiam indolis personalis (infirma valetudo, etc.), Episcopus dioecesanus votum Sanctae Sedi mittere curet ut ipsi detur Episcopus auxiliaris qui, absque iure successionis, sed peculiaribus facultatibus praeditus, ipsius Episcopi dioecesani vices gerat; quod quidem Sancta Sedes semper directe facere potest, praesertim si Episcopus dioecesanus absens est vel quocumque modo impeditus;

3) Sancta Sedes, ob easdem aliasque rationes, nominare etiam potest, si id magis opportunum quandoque videatur, Episcopum coadiutorem, cum iure nempe successionis, atque obligationibus et iuribus praeditus quae in litteris apostolicis suaे nominationis definiantur.

Eae normae quoad substantiam omnibus Consultoribus placent. Attamen nulla formulatio concreta probatur, quia aptius videtur ut canones emendati de hac materia (videlicet non tantum can. 1 sed etiam alii) examini Coetus in futura sessione proponantur.

#### *Ad can. 2*

§ 1. Episcopus coadiutor officii sui possessionem capit, cum litteras apostolicas nominationis, per se vel per procuratorem, ostenderit Episcopo dioecesano atque Capitulo cathedrali, praesente secretario eiusdem Capituli aut secretario Curiae, qui rem in acta referat.

§ 2. Episcopus auxiliaris officii sui posessionem capit, cum litteras apostolicas nominationis ostenderit Episcopo dioecesano, praesente secretario Curiae, qui rem in acta referat.

Rev.mus quartus Consultor, cui et alii accedunt, animadvertisit normam § 1 emendari debere iuxta probata in can. 81 quoad possessionem officii ex parte Episcopi dioecesani.

*Can 9*

Episcopi dioecesani est curare ut Episcopi coadiutoris et auxiliaris remunerationi prospiciatur ad normam can. 9 (de clericis), utque eorundem habitationi cum eorum dignitate et necessaria libertate congruenti provideatur.

Hic canon deletur, quia norma de remuneratione Episcopi coadiutoris et auxiliaris iam implicite inclusa est in canone 25 schematis generalis « De Sacra Hierarchia », ubi sermo est in genere de remuneratione clericorum.

## B) DE VICARIIS GENERALIBUS ET EPISCOPALIBUS

*Ad can. 3*

Quaedam fiunt animadversiones ad textum huius canonis qui ita sonat:

§ 1. Vicarius generalis et episcopalis libere ab Episcopo dioecesano nominantur et ab ipso ad nutum revocari possunt, salvo praescripto can. 4 (de Episcopis coadiutore et auxiliari); Vicarius episcopal, qui non sit Episcopus auxiliaris, nominetur tantum ad tempus, in ipso constitutionis actu determinandum.

§ 2. Vicario generali vel episcopali absente vel legitime impedito, Episcopus dioecesanus alium constituere potest, qui eius vices supplet.

Rev.mus quartus Consultor proponit, et propositio accipitur, ut in § 1, lin.2, dicatur « libere » loco « ad nutum ».

In § 2, lin. 2, mendum typographicum corrigitur, nempe « absente ».

*Ad can. 4*

Observationes tantum enuntiantur quoad § 4, cuius textus est:

« Vicarii generalis et episcopalis munus ne committatur canonico poenitentiario, aut Episcopi consanguineis usque ad secundum gradum mixtum cum primo; Vicarii generalis munus, seclusa necessitate, ne committatur parocho ceterisque curam animarum habentibus ».

Postulante Exc.mo septimo Consultore, ita emendatur textus in initio § 4: « Vicarii generalis et episcopalis munus componi non potest cum munere canonici paenitentiarii ».

In lin. 3 proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut aptius dicatur « ad quartum gradum » loco « ad tertium ». Propositio ita recipitur: « usque ad quartum gradum valide conferri valet ».

Placet etiam, proponente Exc.mo decimo Consultore, ut in fine § textus ita compleatur: « ne committatur iis qui insimul munere parochi aliasve eidem aequiparato funguntur ».

Textus emendatus huius § 4 ita manet:

§ 4. Vicarii generalis et episcopalis munus componi non potest cum munere canonici paenitentiarii, neque Episcopi consanguineis usque ad quartum gradum valide conferri valet; Vicarii generalis munus, seclusa necessitate, ne committatur iis qui insimul munere parochi aliasve eidem aequiparato funguntur ».

#### *Ad can. 6*

Postulat Exc.mus septimus Consultor ut in § 1 dicatur Vicarium generale esse eum qui sub auctoritate Episcopi dioecesani Curiam dioecesam moderatur. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod in canonibus de Curia dioecesana iam dicitur Vicarium generale esse « caput Curiae ». Accedit Exc.mus septimus Consultor sed postulat ut loco « caput Curiae » dicatur « Moderator Curiae ».

Nulla alia animadversio fit ad canones “De Vicariis generalibus et episcopalis».

#### C) DE SYNODO DIOECESANA

Proponente Exc.mo septimo Consultore, ita emendatur textus can. 4, § 1, 4º: « *christifideles laici, sive viri sive mulieris*, ut delegati Consilii pastoralis ... ».

Ad canonem 8, in fine, haec adduntur verba, ad mentem Exc.mi decimi et Rev.mi quarti Consultorum, « subscrabit, quae eius auctoritate tantum publici iuris fieri possunt ».

Ad canonem 9, lin. 1, sequens fit animadversio et emendatio, ad mentem Exc.mi octavi Consultoris, « Quae modo *per Episcopum* determinato... ».

#### D) DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET METROPOLITIS

Proponente Exc.mo septimo Consultore, in canone 6 delentur verba « pallium amittat aut ».

Nulla alia fit emendatio.

\* \* \*

Ita disceptatione expleta de quaestionibus quae in hac sessione pertrac-tandae erant, committitur Rev.mo Secretario Ad. ut, pro proxima Coetus sessione, schemata definitiva appareat « De Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus » atque « De Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus ».

In hac nova sessione quaestio prima vice perpendenda est « De Legatis Romani Pontificis ».

Deinde, precibus de more dictis, Em.mus Card. Felici finem imponit huic XIV<sup>æ</sup> sessioni Coetus studii « De Sacra Hierarchia ».

Romae, die 22 februarii 1974.

I. HERRANZ  
*Actuarius*

